

quâque figurâ formaliter simplex est & unus; heic verò est geminus, in maiore quidem affirmativus, in minore negativus. 2. maior est negativa, conclusio affirmativa, quod in nullâ figurâ obtinet; in omnibus enim figuris Syllogismorum conclusio sequitur partem debiliorem.

II. Specialiter, nam in primâ non est; quia in hac minus extreum conjungit ut cum medio termino, eique quasi amicè subordinatur, in hoc verò Syllogismo minus extreum removetur à medio termino, quia contradicunt sibi, Spiritum Christi habere, & spiritum Christi non habere, & cui illud tribuitur, id non potest dici sub hoc, utpote illi contradicente, subsumptum esse. non in secundâ; 1. quia medius terminus (quem ita nata dōκησιν appellamus) non est prædicatum in utrâque præmissarum, sed duntaxat in minore. 2. quia conclusio est affirmativa. non in tertiat; 1. quia medius terminus non est subjectum in utrâque præmissarum, sed solùm in majore. 2. modus procedendi, qui quasi adumbratur in hoc Syllogismo (cum legitimus & naturalis non sit) diversus est ab eo, qui in tertiat figurâ observatur; Tertiæ enim figuræ processus est ἀναλυτικός, huius vero Syllogismi est quasi συνθετικός. Corrigemus proinde Syllogismum hunc, & hoc etiam exemplo demonstrabimus, minorem secundæ figuræ posse esse affirmativam; idque hoc pacto;

Fes Nulli increduli Spiritum Christi habent,

ti At quidam infantes Spiritum Christi habent.

no Ergo quidam infantes non sunt increduli.

SCEMMA VI.

An Syllogismus Probabilis sit species adæquata Syllogismi veri?

I. 1. *Syllogismus* (inquit noster author) *verus est aut falsus*, *Verus est* cuius partes materiales sunt *veræ*. *Estq; probabilis vel necessarius*. Sed quām commoda sit hæc divisio videbimus. Definiuntur τὰ ēποξα sive probabilia, quæ videntur omnibus aut